



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

## ARTICVLVS III.

*Vtrum in diuinis sit alia processio à genera-*  
*tione verbi.*

## DISPV TATIO I.

*Conclusio  
D. Thoma.*

**C**ONCLV SIO est. Præter generationem Verbi datur in diuinis alia processio Spiritus sancti. Est de fide. Ioannis namque i. afferit, *Spiritus sanctorum procedere à Pare: cùm ergo Spiritus sanctus sit aliis a Filio, vt cōstat ex illo Ioa.14. Rogabo Parē, & alium paracletum dabit vobis: consequens est, vt præter generationem Verbi cōcedenda sit in Deo processio alia, qua procedat Spiritus sanctus. In symbolo Missæ habetur: qui à Pare Filiōque procedit: cùm ergo generatio Verbi sit a solo Patre: efficitur, vt processio Spiritus sancti sit alia à generatione verbi. In symbolo Athanasij habetur, *Spiritus sanctus a Pare, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Eadem veritatem definuit Concilium Constantinopolitanum i. cap.7. & ferè reliqua Concilia, definitionesque Ecclesiæ artic. i. disputatione 3. citatae.*

Eamdem conclusionem in hunc modum explicat, ac deducit D. Tho. *Processio in diuinis attenditur secundum actionem iranamentem: qua actio, in natura, qua intellectus pollet, est actio intellectus & voluntatis: cum ergo processio Verbi attendatur secundum actionem intellectus: sit, ut quemadmodum in nobis datur quadam alia processio amoris per operationem voluntatis, secundum quam res amata est in amante: ita quoque in Deo, præter processione Verbi per intellectum, danda sit alia per voluntatem, que sit processio amoris.* Cui ratione si adiungas, in Deo nullū esse accidēt colligere in Deo, præter processione substanciali Verbi, dati aliam processione substanciali Spiritus sancti.

## DISPV TATIO II.

*Vtrum in nobis per operationem voluntatis aliquis terminus producatur.*

*Duran. &  
quarundam  
aliorum sen-  
tentia.*

**P**Artem, quæ negat, tueruntur quidam ex lectatoribus D. Thome: in eadēmque est Durandus, qui, vt negat per alium intellectus produci aliquem terminum, ita etiam negat per actum voluntatis produci aliquid, quod sit terminus volitionis.

*Scoti opinio.*

Scotus vero, cùm affirmet volitionem non esse actionem propriè dictam, sed qualitatem, produc tam per actionem propriè dictā, quam vocat elicere volitionem, vt art. i. disp. vltim. dicuntur. dictum est, per actionem voluntatis impropriè dictam, quæ est volitio, nihil produci: per actionem vero propriè dictam, quæ est elicere volitionem, produci aliquid, nempe volitionem ipsam, quæ sit terminus actus elicendi eamdem volitionem.

*Refellitur.*

Sententia hoc Scotti eodem modo diffidet à sententia, quam subiiciemus, quo sententia de Verbo, dicere, & actu intelligendi, quam art. i. disp. vltim. ex Scoto retulimus, diffidebat à sententia D. Thome: eodēmmodo est impugnanda. Quare non est quod in ea amplius immoremur.

*Caiet. sen-  
tentia.*

Est ergo tercia sententia Caietani hoc loco, Capreoli in i. d. 10. q. 1. Ferrarensis 4: contra gentes cap. 19. Bartholomaei Torres art. i. huius questio nis disputatione 5. dubio 5. afferentium, sicut per intellectuonem productur verbum, quod est ter-

A minus intellectuonem, ita per actum voluntatis produci in nobis qualitatem quendam, quæ volitionem terminat. Hæc sententia nobis probatur, vide turque ea D. Thomæ hoc loco, & absque illa dubitatione infrà q. 37. art. 1. Quomodo autem intelligendus sit q. 4. de veritate art. 2. vbi contrarium videtur innuere, legit apud Doctores proximè citatos. De distinctione huiulmodi qualitatibus ab actu, per quem producitur, idem dicendum est, quod de distinctione verbi ab actu intelligendi articulo 1. disput. vltima diximus.

Notant doctores citati, conformiter ad mentem D. Tho. q. 37. art. 1.. hoc esse discrimen inter verbis, quod producitur per actum intelligendi, & qualitatem eam, quam per actum voluntatis afferimus produci, quod verbum est imago expressi rei, quam intelligimus: qualitas autem illa non est imago rei, quam volumus, sed propensio & inclinatio ad illa, producita per actum voluntatis. Notant præterea cum Diuino Thoma loco citato, quanvis habemus distincta nomina quibus significemus, & actum intellectus, & terminum illius (actum quippe appellamus intellectuonem; terminum vero Verbi ac conceptum) non dari tamen vocem propriam, qua terminus volitionis significetur, eo quod is terminus nos magis lateat, quam is, qui intellectione generatur: id eoque cogi ad eam rem Theologos, vt eodem nomine positum volitionis terminum, quo voluntatis actus exprimant. Sicut enim acti appellamus, tum amorem, tum propensionem, ac inclinationem in rem voluntatis terminum appellamus amorem, propensionem, & inclinationem voluntatis in rem voluntatis. Quod fit, vt & amor, & propensio, & inclinatione voluntatis in rem voluntatis, & equiuocum sit ad voluntatem, & ad terminum per eam productum.

Petes, quanam sit necessitas constituendi qualitatem explicatam, ad quam volitiones terminantur? Doctores citati, qui ex ratione verbum constitutum esse censebant, vt in eo tamquam in obiecto cognito principale obiectum agnoscetur, yix assignant rationem, ob quam ciuiusmodi terminus constitui debet. Fatetur namque non concurrere tamquam obiectum, sed solum tamquam terminum. At cum per actus sensuum exteriorum negent produc terminum, nescio cum quanta probabilitatis specie affirmare possint, produci per volitionem: neque enim vla videtur esse maior ratio de actu voluntatis, quam de actibus sensuum exteriorum.

Dicendum itaque rationem, cur admittatur, eam esse, quia implicat contradictionem esse actionem, quin producere aliquem terminum, vt cum Scotio art. i. disputatione vltima dicebamus: quare cum volitio sit actio & non qualitas (alioquin producetur per aliam actionem, vt ibidem argumentabatur) sane dicendum est, per eam aliquem terminum produci: & cum nullus alius singi possit, quam res de praedicamento qualitatis, dicendum erit illum esse qualitatem explicatam.

In hac sententia partim conuenimus cum Scoto, & partim ab eo diffidemus. Conuenimus quidem, quatenus Scotus concedit, quod aliquid volumus, produci in voluntate qualitatem quendam, dariq; distinctionem aliam actionem voluntatis, per quam producatur, & cuius ea qualitas sit terminus. Diffidemus vero, quia ipse existimat, volitionis nomen significare qualitatem illam, & non actionem per quam ea producatur, sed actionem esse ipsum elicere volitionem: nos vero dicimus, actionem, per quam producitur qualitas, esse volitionem ipsam: qualita tem vero productam, esse terminum volitionis.

DISPV.

*Per alium  
voluntatis  
productum  
terminum.*

*Qualitas,  
qua actum  
voluntatis  
terminus  
est imago  
productum  
in obiectum.*

*Neofilius  
prædicti cuius-  
modi terminum.*

*Legimus  
ratio.*

Sicut per amorem res amata in amante.

Aureoli apud Capreolum in 1.d.10.q.1.nititur probare, non esse verum, quod hoc loco assertur D. Thom. rem scilicet amatam esse in amante per amorem. Quoniam, inquit, *amans per amorem fester, atque est in re amata, iuxta illud Augustini 13. confes. cap. 9. Amor meus pondus meum, illo fester quo cumque fester.* Et illud Bernardi: *Anima verius est ubi amar, quam ubi animat.* Cui concinit illud Christi Matth. 6. *Pbi est tesaurus tuus, ibi est & consumetur res amata non est in amante per amorem.*

Ad hoc argumentum, concessio antecedente, neganda est consequentia. Nullum namque est absurdum, si per amorem, & amans dicatur esse in re amata, & res amata in amante, s. alia atque alia ratione. Amata quippe res dicitur esse per amorem in amante, non tamquam per suam similitudinem, quasi amor similitudo sit rei amata, eo modo quo verbum est similitudo rei cognitæ (quo posito eneruantur quædam aliae obiectiones Aureoli ubi supradicta) sed per inclinationem in rem amata, vt D. Thomas 4. contra gentes cap. 19. ait: eo modo quo locus deorsum dicitur quodammodo esse in re gravi, ratione gravitatis, qua est principium producendi deorsum rem grauem. Dicitur etiam res amata esse in amante per complacentiam: qua in ea acquiescit, ratione cuius complacentia res amata dicitur amanti impressa, *amansq; reputat amicum quæ alterum se.* vt Aristoteles 9. Ethicorum cap. 4. affirmat: quia de causa & bona, & mala amici suscipit, ac si forent suæcæminus secundis rebus eius latentes, & aduersis tristitia afficitur, quam propriis suis. Adde, amorem vrgere, ac mouere amantem, vt frequenter cogitet de re D. amata, ac proinde vt eam etiam habeat in facultate cognoscere. Quia omnia causam reddunt, cur in amore communique loquuntur vnu possumit sit, vt qui amat, dicat se rem amata habere in corde, iuxta illud Pauli ad Philippien. 1. *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis.*

E contrario autem, amans per amorem dicitur esse in re amata, quia per amorem tendit, atque quoad affectum trahit in rem amata: amare namque non est ad se trahere rem amata, sed in eam trahi. Quia ratione Dionysius 4. c. de diuinis nominibus, *amorem appellat vim unituam amantis cum animo.* Et Augustinus 11. de Ciuitate Dei cap. 18. ait: *Ita corpus pondore, sicut animus amore fester, quo cumque fester.* Atque hoc ipsum est, quod sonant certe testimonia, quæ in suo arguento Aureolus collocauit.

## DISPUTATIO IV.

Vberior declaratio duarum processionum diuinarum.

**E**T si timendum est, ne dum tam reconditum & arcanum processionum diuinarum mysterium contemplatur, scerutando maiestatem, à gloria opprimatur: quia tamen copiosior aliquantulum earum, explanatio multæ lucis assert, ad eam de tota sublimissima Trinitatis tractatione notitiam comparandam, quæ in tenebroso huius vite ergastulo possumus habere diuino freti nomine tentabimus viam munire. Quia in re eam sequemur normam, vt accommodare loquamur ad literas Sacras, ad definitiones Ecclesiæ, ad dicta Sanctorum, atque ad doctrinam D. Thomæ, subiicientes omnia correctioni Molina in D. Thomæ.

A sancta matris Ecclesia. Sit ergo primum fundamentum. In Deo intellectus, voluntas, intelligere, & velle, propriæ omnitudinæ Dei simplicitatem, suntidem prorsus, non solum re, sed etiam ratione formalis, virtute tamen inter se formaliter distinguuntur. Itaque unumquodque illorum quatuor in Deo cum ceteris, atque cum essentia diuina est idem, & realiter, & secundum rationem formalē: nec nisi virtute eminenterque distinguuntur. Quod fit, ut se habeant, ac si distinguerentur: cùm tamen sint prorsus idem. Quæ omnia explicata, ostendendaque sunt quasi sequent. Interim supponatur hoc loco.

Secundum fundamentum sit. Ex nostro intelligere (quod inde presertim constat participationem ac imitationem quamđa esse intellectiois diuinae, quod ratione intellectus & voluntatis ad imaginem & similitudinem Dei sumis conditi) seclusis imperfectionibus omnibus, de diuino intelligere nihil prophädum nobis esse. Quemadmodum ergo nostrum intelligere, quia est vera actio vitalis, per quam vero producitur quid distinctum ab intelligentie, non est aliud, quam intellectum vitaliter imaginem rei, qua intelligitur, in se exprimere, vt art. 1. disp. vlt. oftensum est: intelligere diuinum essentialis tribus personis diuinis commune, licet non sit exprimere vitaliter imaginem essentiae diuinae, quæ est obiectum primarium, quod per illud cognoscitur, idque propteræ quod non sit actio; atq; adeo nihil per illud producatur, quod vñā cum ipso distinctum sit à producente, nihilominus in se esse operationem diuinam vitalem, quæ est veluti imago vitalis essentiae diuinae, quæ tamquam obiectum primarium eam in intellectione terminari, idque propriæ quod intellegere nō est aliud, quam imaginem, aut quasi imaginem eius, quod intelligitur, vitaliter esformare. Ea itaque dumtaxat ratione intelligere essentialis tribus personis diuinis commune, neq; veram neque integrum rationem imaginis essentiae diuinae, atq; adeo neque Verbi essentialis, quod eidem tribus personis diuinis commune sit (vt infra q. 3. 4. dicemus) fortiter, quod non sit quid ab eis distinctum ad rationem vero imaginis, atq; adeo verbi, necessarium fieri distinguatur ab eo, cuius dicitur imago, aut verbum, itaque intelligere diuinum essentialis, quatenus à tribus personis diuinis eo formaliter intelligentibus, & ab essentia diuina tamquam ab obiecto primario virtute differt, est in se quasi quedam imago vitalis essentiae diuinae intellectus: quia tamē & ratione formalis est idem prorsus cum eidem, neq; imago est, neque verbum impliciter, ac propriæ loquendo.

Notandum est præterea, quemadmodum nostrum velle & amor, neque est imago vitalis rei, quam voluntus & amans, neque aliquius imaginis producio: ita velle amoremque essentiale Dei, secundum suam propriam rationem formalē, non esse imaginem, nec habere se instar imaginis vitalis essentiae diuinae, quæ tamquam primū obiectum amatur, sed esse velut inclinationem vitalem in essentiam, indistinctam prorsus secundum rationem, neque formalē, sed virtualiter differentem.

His ita constitutis, in hunc modum explicandas censeo diuinas processiones. Pater æternus intelligendo dicit, generat, & producit per intellectum Verbum sibi coæternum Filium suum, sapientiam genitam. Pater item & Filius diligendo producunt & spirant per voluntatem Spiritum sanctum, amorem spiratum, ac productum, sibi etiam coæternum.

Qua in re primum est animaduertendum. Quod admodum Filius, seu Verbum, includit quid abso-

1. Funda-  
mentum.

Secundum.

In intelligere  
diuinum tri-  
bus personis  
commune cur-  
neque inua-  
gram ratio-  
nem imagi-  
nis, neque  
verbi forti-  
tur.

Tertiū fun-  
damentum.  
Pelle diuinū  
non esse ve-  
lūt in signo  
efficit, sed  
velut in incli-  
nationem in  
essentiam.

Expli-  
catione  
diuinarum pro  
cessionum.

lurum, nempe rationem sapientie communem tribus personis, & cum ea essentiam, ac attributa cetera, nostrisque intelligendi more cum fundamento in re, addit esse genitum dictum, & productum à Patre, quod est relatio realis ad Patrem: ita Spiritum sanctum includere quid absolutum, nempe amorem essentiale, & cum eo essentiam, ac reliqua attributa, nostrisque similiter intelligendi more cum fundamento in re, addere esse spiritum, ac productum à Patre & Filio per voluntatem, quod est relatio spirationis passiuè ad Patrem & Filium sub ratione unius spiratoris actiuè.

Filius unde assimilatur Patri & ab eo unde distinguatur.

Secundum est. Cum Filius in diuinis procedat per intellectum, sicut sapientia genita, & idcirco in sua productionis includat rationem sapientie communem tribus personis, hoc est, intelligere essentiale, quod secundum suam rationem formalē est velut imago vitalis essentiae diuinæ, ut explicetur est, addaque esse genitum seu productum à Patre per intellectum; à ratione quidem sapientia, quam includit, habet, ut sit similitudine Patri quod substantiam & essentiam Patris que est obiectum primariū à Patre per suum intellectum cognitum: à relatione vero habet, non quod similitudine Patri, quia ut D. Thomas q.35. art.2. affirmar, secundum relationes non attenditur similitudo in diuinis; sed quod sit quid realiter distinctum ac productum à Patre. Quod sit, ut à relatione habeat completiuè, ut sit Verbum, hoc est, imago vitalis à Patre per intellectum producta, ab eoque distincta, in quo posita est ratio Verbi. Filius autem Dei est hoc modo Verbum Patris, docuit Iohannes dicens: *In principio erat Verbum, &c.* Per consequens sit, ut ab eadem relatione completiuè similitudine habeat, ut sit imago Patris, ab eo proinde distincta, & figura substantiae eius, hoc est, Patri similitudine quodam suam substantiam. Atque id est, quod docuit Paulus ad Hebreos 1. dicens: *Locus est nobis in Filio, qui cum sit splendor gloria, & figura substantiae eius, &c.* Et ad Colosenses 1. dicens: *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et quod docuit Sapientis Sapientia, 7. eis verbis: *Candor est lucis aeterna, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago beatitudinis illius.* Spiritus sanctus vero, quia procedit per voluntatem, estq; amor spiratus ac productus, ut sit productionis includat rationem amoris essentialis, qui secundum suam propriam rationem formalē, non est velut imago vitalis essentiae, sed tamquam inclinatio ac tendentia vitalis in essentiam, vt in rem amatam: eaq; ratione de spiritu sancto, nec dicunt quod sit Verbum, nec quod sit imago Patris & Filii, sed quod sit amor, nexusque virtutis, ab ipso producitus.

Tertium est. Patrem aeternum in eo sensu intelligendo producere Filium seu Verbum, quasi intelligere absolutum spiritum productum Filii ac Verbi: sicut in nobis intelligere est actio, qua Verbum generatur. Etenim in nobis species expressa producta per actum intelligendi est verbum: habet verò ut sit verbum, quia producta & dicta passiuè per intellectum: esse autem dictam & productam passiuè non est aliud, quam ipsum intelligere, ut passiuè est. Idein vero intelligere sumptum actiuè, est actio per quam verbum actiuè producitur. In Deo autem ipsummet intelligere essentiale, seu sapientia communis tribus personis (qua, ut quatione sequenti demonstrabimus, includit essentiam & cetera attributa) per relationem producti per intellectum, per quam Filius constituitur in esse Filii & geniti, completus in esse Filii ac Verbi: sapientia namque genita ac producta est, quae habet rationem Filii ac Verbi in diuinis. Quare licet Pater, intellige-

A gendo seipsum, suamve essentiam, producat Filium ac Verbum; ipsum tamen intelligere, quod & à Patre communicatur Filio, dum ipsum generat, & manet in ipsomet Patre, & non est productio activa filii: sed productio activa Filii est, Patrem intelligendo dicere Verbum. Eiusmodi autem dicere Patris per ipsum intellectum, licet presupponat intelligere Patris essentiale, in eō: quasi fundetur illud quod quadammodo includatur, non est tamen ipsum intelligere: sed est relatio dicentis ac producentis per intellectum existens in Patre, ad rem per intellectum dictam & productam. Dicere itaque Patris praesupponit & quadammodo includit intelligere essentiale, & completum per relationem producentis, sic intelligendis, quae recipiunt productum. Eiusmodi vero relatio per modum actionis significata, precepit pennisque intelligere essentiale, immo illud in sua ratione in obliquo dicens, est productio activa, a qua Pater dicitur intelligendo producere ac generare Verbum. Relatio autem opposita dicti ac producti per intellectum, quae est in Filio, est productio passiuè Filii ac Verbi, per quam Filius in esse Filii & Verbi nostro intelligendi more constitutus. Productio ergo activa Patris & passiuè Filii non sunt alii, quam relatio & habitudo eius, à quo aliis per intellectum, & eius, qui ab alio per intellectum, quae intelligere essentiale presupponit, ut emanat ab essentia, i.e. à Deo, quia Deus est, prius quam nostro intelligendi more in eo persona intelligatur. Etenim iste est essentia diuina tamquam radix relationis, proprietatisque omnium personalium, virtute in se eas continens. Ea vero in illo priori, per intellectum se ipsum intelligente, quasi resultat a parte essentiae relatio eius, à quo aliis per intellectum, ex qua & essentia (qua intelligere ipsum, ceteraque omnia attributa includit) constitutus Pater, qui eo ipso, & est id, quod eadem essentia, ut sua, nec non intellectu tamquam principis intelligit, ut quod, se ipsum, suamque substantiam, & reliquias personas, nostras intelligendo modo virtute adhuc contentas in se, suāque essentia, & est id quod producit, ut quod, Filius: sua vero essentia & intellectu producit illum tamquam principiis quo. Etenim id, quod per intellectum producitur, & cui intelligere seu sapientia, & cum ea & in ea, essentia, ceteraque attributa intellige- E do comunicantur, nō ab essentia, sed à Patre realiter distinguuntur, ad quem solum habet oppositionē relativā: & idcirco, non ab essentia, sed à Patre per essentia & intellectu tamquam principiis producitur: inter producēnamq; & productū realis distinctio esse debet. Rursus eadē essentia seu Deo, quia Deus est, intelligente se ipsum, sicut à parte essentiae quasi resultare intelligitur relatio eius, à quo aliis per intellectum, ex qua & essentia nostro intelligendi more constituitur suppositū Patris, quod intelligendo comunicaat Filio ipsum suū intelligere, ac sapientiam, & cum ea essentia & cetera attributa, ita à parte intelligere, sapientiae essentialis ac essentiae, qua ita comunicatur, Patris influxu, actua que productione Verbi, resultare intelligitur relatio eius, qui ab alio per intellectum, ex qua & ex intelligere, seu sapientia essentiae, ac essentia ita comunicatis, constitutus Filius, qui est id quod producitur à Patre, & quod comparatione Patris habet oppositionē relativā, non vero intelligere, essentia, & alia attributa, quae per generationem illi comunicantur. Atq; in hunc modum Filius, seu Verbum, procedit à Patre per intellectum.

Prodicia  
aduersaria  
proposita  
nisi sit quod  
sit.

Essentia di-  
uina vi si  
radix rela-  
tionum.

Dicere Pa-  
tri aeternū  
guid.

Cautè vñus sum verbo , quāsi resultat , dum bis A paulò ante dixi . *essentia seu Deo , qua Deus est , in illo . priori per intellectum se ipsum intelligentem quāsi resultare à parte essentie relationem eius , à quo aliis per intellectum ex qua & essentia constituitur Pater : quoniam ibi nulla est productio , neque processio , qua paternitas , relativae eius , à quo aliis per intellectum procedat , aut producatur ab essentia , neque resultantia proprietate : hæc enim omnia distinctionem exigunt inter producens & productum , inter procedentem , & id à quo procedit , & inter resultantem propriæ & id à quo resultat : qua tamen distinctione nulla ratione esse potest inter essentiam & paternitatem , inter quæ solum est virtualis distinctione , coniuncta cum omnimoda carūdē identitate ex natura rei . Nihilominus quia essentia virtute continet in se personas diuinias , proprietates , ac relationes , quibus personæ confituntur , & ab initio distinguuntur , ex secunditateque per intellectum & voluntatem , ac infinita & illimitata illius perfectione prouenit , quod in Deo sit glorioissima Trinitas personarum : inde est , quod , nostro intelligendi modo cum fundamento in re , ab essentia , ad se ipsam respiciente seque ipsam intelligentem , quāsi resultare intelligatur paternitas in ipsam essentiam , vñ cum essentia constituens suppositum relationum Patris , quod per candem essentiam & intellectum , eo ipso illi propria à nullōque alio sibi cōmunicata , se ipsum suamque essentiam intuendo , modo explicato producit Verbum eternum Filium suum unigenitum . Exempla huius quāsi resultantiae paternitatis ab essentia se ipsam intuente habemus in essentialibus , inter quæ nulla similiter est productio , neque processio vñis ab alio , eò quod similiter nulla sit inter ea distinctione ex natura rei , nisi tantum virtute . Nostro namque modo intelligendi cum fundamento in re , concipiimus intellectum diuinum & voluntarem quāsi resultare ex essentia , & non è contrario : & velle in diuinis quāsi subequi ex natura rei intelligere , illudque presupponere , & ab eo quāsi emanare , & non è contrario : eaque de causa dicimus , generationem Filij ex natura rei antecedere spirationem Spiritus sancti , dicimus etiam Deum , quia Deum , esse intelligentem & volentem , & non è contrario , quia volentem & intelligentem , esse Deum : dicimus præterea , Deum , quia intelligentem , esse volentem , & non è contrario , quia volentem , esse intelligentem : item dicimus , Patrem essentia , tamquam principio quo remotori , & intellectu , tamquam principio proximo , generare Filium , & non è contrario : similiisque alia ex eadem radice affirmamus . Non secus autem ac modo predicto concedimus quāsi emanationem vñis ex alio in essentialibus ab ille vñ productione ut processione : concedimus etiam ac affirmamus , paternitatem quāsi resultare in essentia , constitutæque cum ea suppositum Patris , dum essentia , quæ personis pre-intelligitur , proprietateque eam virtute , in se continet , scilicet intuetur ac intelligi . Hac de processione filij à Patre per intellectum .*

Quod vero ac processione Spiritus sancti attinet , simili modo , licet Patre & Filius diligendo prodicem per voluntatem Spiritum sanctum , diligere tamen absolutum , & essentia non est productio actiua Spiritus sancti , sed spirare est producere Spiritum sanctum . Spirare autem Patris & Filii , licet presupponat dilectionem essentiale virtualis , & in ea quāsi fundetur , immo illam quodammodo includat , non est tamen diligere , sed est diligendo producere : quod sit , vt compleatur per rela-

Molina in D. Thom.

tionem producentis diligendo ad rem eo modo productam . Ea autem relatio per modum actionis significata , in Patre & Filio existens , est quæ dicitur productio actiua Spiritus sancti , & ab ea Patre & Filius dicuntur formaliter Spiritum sanctum producere , vt de relatione Patris ad Filium dictum est . Opposita autem relatio producti , iuxta modum explicatum , ad Patrem & Filium in ratione vñis producentis , est productio passiva Spiritus sancti , per quam ipsius ratio absolutur . Neque vero apud D. Thomam inuenies , processiones diuinæ esse actiones , aut operationes immanentes , quæ sunt intelligere & velle : sed esse secundum operationes aut actiones immanentes , aut accipi secundum actiones immanentes , quæ sunt intelligere & velle , vt patet in hoc articulo , & in artic . 5 . ac sepe alias .

Præterea , quia diligere essentiale , nostro intelligendi more cum fundamento in re , presupponit intelligere : eò quod neque in nobis , neque in Deo , aliquid sit volunt , qui præcognoscatur . Patrèque aternus prius , nostro intelligendi more cum fundamento in re , quam diligat , intelligendo se ipsum , suamque essentiam , generali Filium , eique essentiæ omnia cōmunicat : inde est , vt Filius ante volitionem Patris sit vñum principium cum eo , producens diligendo Spiritum sanctum . Ut ergo paulò ante dicebamus , intuente essentia diuina , ac intelligente se ipsum , antequā in ea intelligatur proprietates personales , quāsi resultare à parte essentie relationem dicentis , producentisve per intellectum ad productum , ex qua & essentia constituitur Pater in esse Patris producentis , ac cōmunicantis Filio suam sapientiam , & in ea catena attributa quæ includit : similiter dicendum est nunc , Patre & Filio se mutuo , suamque essentiam diligentibus , quāsi resultare in ipsis relationem producentis per voluntatem suamque amorem , atque in eo attributa omnia diligendi cōmunicantis , ad Spiritum sanctum productum , cui amor & reliqua omnia cōmunicantur : per relationem autem actiue spirantis ac producentis diligendo , constituti Parrem & Filium in ratione vñis actiue spiratoris : per relationem vero spirati passivi ( licet ita loqu) cōficiunt Spiritum sanctum in esse Spiritus sancti , qui tercia est persona sanctissima Trinitatis .

Eis his omnibus patet , quando dicimus Filiū esse sapientiam genitam , aut Spiritum sanctū esse amorem spirati , ac productum , nos non ita intelligere , quā sapientia absoluta cōmuni trib. personis sit genita in filio , aut quās amor absolutus eisdem cōmuni sit spiratus , productusve in Spiritu sancto . Nam sicut essentia diuina non generatur aut spiratur , vt est de fide , videbimus ; inferius , sed per generationē cōmunicatur filio , & per spirationem Spiritui sancto : ita quoq; sapientia absoluta nō generatur , sed cōmunicatur filio per generationē , & amor absolutus nō spiratur , nec producitur , sed Spiritui sancto per spirationem cōmunicatur . Esse itaque genitū & productū per intellectū , cōvenit supposito Filij , & nō Deitati , aut attributis , quæ Filiō cōmunicantur per generationē , in eoq; quod genitus sit per intellectū , ratio filiationis cōstituitur : additi nostro intelligendi more deitati , nostro quoq; more intelligendi cōplet rationē filij in esse filij , & in esse Verbi , eaq; ratione Filius dicitur Deus genitus de Deo generante . Quia vero producitur à Patre intelligendo , vi sua productionis speciali quodam modo cōmunicatam habet sapientiam cōmuni tribus personis , & cum ea essentiam certaque perfectiones , quæ in essentia includuntur ; eaque de causa vi sua productio-

Filius cur  
principium  
Spiritus san-  
cti vñ cum  
Patre .

Filius cur  
sapientia ge-  
nita dica-  
tur , esto essen-  
tia / sapien-  
tia non gene-  
retur .

nis dicitur in Scripturis sapientia genita, & figura A substantia Patris, imago, & Verbum Patris.

Haud secus, esse spiratum, seu productum per voluntatem conuenit supposito Spiritu sancti, & non Deitati, aut attributis, quia Spiritui sancto per spirationem actiuam communicantur: in eoque, quod spiratus sit, productus per voluntatem, posita est ratio spirationis passiva. Quare si addatur nostro intelligendi more Deitati, nostro quoque intelligenti more compleat rationem Spiritus sancti, ut terrena persona est: propter eaque similiter vocari potest Deus spiratus de Deo spirante. Quia vero producitur diligendo, visu productionis speciali quedam modo recipit communicatum sibi amorem sublimissime Trinitati communem, & cum eo Deitatem, ceteraque in ea inclusa attributa. Atque inde est, ut vi sua productionis non dicatur procedere, ut figura substantiae Patris, sed ut propensio & incitatio, appellaturque amor productus.

Ex dictis præterea intelliges, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in reliquis conuenire, solumque distingui relationibus eius, qui ab alio per intellectum, & a quo alius per intellectum, & eius qui ab alio, aut alius per voluntatem, & eius, aut eorum a quibus alius per voluntatem.

Postremo ex hactenus dictis, facilè colliges, ad explicandam productionem Verbi diuini, generationem Filiij Dei per intellectum parum admittendum referre, quod Verbum in nobis sit terminus intellectoris, atque adeò quid ab ea ex natura rei distinctum, aut potius quod ipsa intellectio dici verbum debeat. Quod ideo admonuerim, quia multi affirman, idcirco potissimum reciendam esse sententiam Scoti, qui verbum in nobis non distinguit ab intellectione, quia non consonat cum iis, que de generatione Filiij Dei ac productione Verbi diuini doce fides, neque iuxta opinionem Scoti eque bene explicetur generatio Filiij in diuinis, ac iuxta opinionem D. Thomæ. Ego sane, nisi virginem naturalem rationem haberem ad constituentem verbum terminum intellectoris, numquam propter ea, que docet fides de generatione Filiij Dei, a sententia Scoti discederem. Et enim fides non docet, Verbum diuinum distinctum esse ab intelligere Patris, sed à productione actua, quia à Patre intelligendo producitur, quia non est ipsum intelligere, sed relatio in Patre, quia cum intelligere compleat rationem dicentes per intellectum, ac producent Verbum, ut dictum est. Præterea in Verbo intelligere essentiale includitur, & ratione illius habet, quod similis sit Patri, & quod sit figura substantiae Patris; compleatur vero in esse Verbi per relationem producti per intellectum, ut à qua habet quod sit quid distinctum à Patre, ut dictum est. Adde, quod intelligere in nobis est quid distinctum ab intelligentie, atque adeò quid verò productum: quare si in le esse imago expressa, & non actio, per quam exprimeretur imago, profectò quam maximè similis esset sapientia genita, Verboque diuino, iuxta ea quæ explicata sunt.

In responsione ad secundum argumentum Divi Thomæ, notat Caiernans, omnem naturam finitam vno tantum modo communicari, at infinitam, quia est diuina, duobus modis communicari. Ratio, quam reddit D. Thomas, est, quia proper diuinam simplicitatem, & infinitatem, quicquid ad intra est à Deo, est ipsem Deum, quare cùm ad intra dentur duas processiones in Deo, una secundum intellectum, quæ est generatio, & altera secundum voluntatem, quæ est spiratio: sit, ut natura diuina duobus modis communiceatur. Si nautis, dic natu-

ram, quæ communicatur per actionem ad extra, communicari uno tantum modo: at vero eam quæ communicatur per operationem ad intra, quæ propter suam infinitatem, illimitationem in perfectione, & simplicitatem reddit idem secum omnia, quæ sunt ad intra, communicari duobus modis, iuxta duo genera operationum ad intra, quæ sunt in eadem natura, nempe intelligere, & velle.

In responce ad tertium nota: distinctionem virtualem, quæ inter intellectum, voluntatem, intelligere, & velle cernitur in Deo, esse satis, ut pro

Bcessiones, quæ sunt in Deo secundum operationes intellectus & voluntatis realiter distinguuntur inter se. Adiuste tamen, esse sermonem de processione passiuæ sumptuæ, quæ propriæ dicitur processio, quælibet generatio passiuæ Filij, & spiratio passiuæ Spiritus sancti: processiones namque actiuæ sumptuæ, cum non sint ab alio, sed ut explicatum est, sint respectus eius, à quo aliis, nempe generatio actiuæ in Patre, & spiratio actiuæ in Patre & Filio, non distinguuntur propriæ processiones, sunt idem re & ratione formaliter inter se. Ratio autem quare existente sola distinctione virtuali illorum quatuor, esse

Cpossit distinctio realis inter processiones, quæ sunt secundum operationes intellectus & voluntatis, est: quia processio realiter distinguuntur ab eo, à quo est, propter relativam oppositionem, quam habet cum eo, à quo talis processio emanauit, ut processio passiuæ Verbi realiter distinguuntur à Patre: quare cum processio amoris supponat processionem Verbi, eò quod nihil possit voluntate amari, quin sit intellectu conceptum: sit, ut processio amoris realiter distinguatur à processione Verbi, ratione: relationis spirantis ad spiratum, quæ aduenit Filio iam prodotto, efficitur deinde, ut processio amoris & processio Verbi sint duas processiones realiter inter se distinctæ: sed de hac re latius inferius. Postremò adiciam, has duas processiones se ipsis, & secundum suas rationes formales inuicem distinguuntur: radicaliter verò id habere, eò quod una sit secundum operationem intellectus, & alia secundum operationem voluntatis. Inde enim est, quod una suapte natura supponat aliam, & quod sit ordo originis, ac proinde distinctio viri ab alia.

Hoc loco disputant nonnulli, virū cognitionis obiectio. Et efficienter concurrat ad actum voluntatis. Caetanus & plerique alii affirman. Torres & alii negant. Nos quætionem fusè disputauimus 1.2. q. 9. art. 1. partimque affirmantem tuimus complexi.

#### ARTICVLVS IV.

Virum in diuinis processio amoris, Spiritus sancti, sit generatio.

**D**E fide est processionem Spiritus sancti non esse generationem. Probatur, quia cum Spiritus sanctus procedat à Patre, vt est de fide, si processio etiam Spiritus sancti est generatio, sequeretur Christum non esse vnigenitum à Patre, contra apertissima Scriptura testimonia. Ioann. enim 1. de Christo dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à pare.* Et, *vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse exarauit.* Iean. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum daret.* In symbolo etiam Apostolico dicitur: *Et in Iesum Christum Filium eius unicum.* Et in symbolo Missæ: *Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum.* Ideam etiam probatur ex illis

Natura finita vno tantum modo, in finita duobus communiceatur.